



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 23. Circa irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione iniusta ortam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

DVBIVM LIV.

Clericus propria manu occidit, vel mutilat in bello iusto: ocius irregularitas estne ex homicidio illicito, & iniusto?

267
Questionis
status.

SI miles propria manu occiderit, vel mutilaverit in bello iusto, irregularis est in omnium sententia Argum. Petio, de homicidio. Quod à fortiori in Clerico militat: solū autē dubito, de Clerico sic occidente, vel mutilante, an eius irregularitas ex homicidio illicito, & iniusto dicenda sit, an ex defectu perfectæ lenitatis?

268
Est irregularitas ex homicidio iniusto.

Est quidē ex homicidio illicito, & iniusto. Quia occidit & non ex auctoritate publica, cū non concedatur ei facultas occidendi, imo hæc illi sic denegatur. Ergo hæc irregularitas oritur ex delicto. Sic nonnulli, quorum sententiam Palao de conf. d. 6. pun. 1. 4. §. 5. n. 4. ait esse probabilem.

269
Non est ex iniusto homicidio, sed ex defectu lenitatis.

Non est ex homicidio illicito. Quia si bellum iustum est, nulla sit hosti bus iniustitia eos vita priuando, si ad victoriam est necessarium. Item Princeps omnibus bellantibus hæc facultatem concedit. Quod ergo Clericus contra sibi factam prohibitionē pugnet, non inferitur, iniuste, sed religiose dimicare. Igitur irregularitas hæc non est dicenda ex delicto, sed ex perfectæ lenitatis defectu. Ita Palao ubi supra.

270
Hoc probabilius esse iudico.

Hanc tanto Doctore amicitissimo quidem hærescens, sententiam probabiliorem esse iudico. Nam si Clericus v.g. votum fecisset non pugnandi extra casum necessitatis, & pugnaret: peccaret quidem aduersus votum, sed non aduersus iustitiam, ac proinde non esset irregularis ex delicto. Igitur alio ex capite, nempe ex perfectæ lenitatis defectu hanc irregularitatem emanare concluditur. Porro irregularitas ex lenitatis perfectæ defectu ab alio quā à Pontifice dispensari non potest: non enim in iure aliqua circa hoc Episcopo concessio facta inuenitur. Nam in Tridentino solum datur facultas pro irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus: sub qua facultate hæc, quæ non nascitur ex delicto, comprehendi non potest.



CAPVT XXIII.

Circa Irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione iniusta ortam.

DVBIVM LV.

Ut irregularitas ex voluntaria mutilatione incurratur, sufficitne ea, ex qua corpus humanum non integrum, sed imperfectum manet?

271
Plura requi-

Etum est, ex homicidio voluntario contrahi irregularitatem distinctam ab ea,

quæ ortum habet ex homicidio, vel mutilatione casuali. Porro ad voluntarium homicidium requiritur intentio expressa occidendi, seu apponendi causam de se illatuiam horum effectuum, & ut cognitam, ut si præberes alicui venenum mortiferum, aut deneres fugientē, ut ab alio interimeretur. Hæc irregularitati vicina est altera, quæ ortū habet ex mutilatione. cap. In Ar. hi episcopi de raptorib. & Clement. vii. de homicidio. Quæ & voluntarie, & casu contingere potest. Voluntarie contingit, cum expressam voluntatē habuisti mutilandi, seu apponendi causam, ex qua prævidisti, mutilationem fore euenturam. Secus si solum intendisti vulnerare, & casu mutilasti, sed quæ mutilatio sufficit ad hanc irregularitatem inducendam, non conueniunt Doctores. Quæserim ergo, num sufficiat ea, ex quo corpus humanum non integrum, sed imperfectum manet?

Sufficit plane, vnde abscisso digitorum, & cartilaginibus auris, & nasi, & testiculorum sufficiens reputatur. Quia si imperfectum manet corpus humanum, perfecta proculdubio mutilatio est. Sic Caiet. 2. 2. q. 65. a. 1. Sotus lib. 5. de iust. q. 2. art. 1. Suarez d. 44. section. 2. numer. 7. Layman lib. 3. section. 5. tract. 3. part. 3. cap. 11. num. 2.

Non sufficit, sed ea mutilatio requiritur, quæ aliquod corporis membrum abscindat. Quia dum membrum aliquod abscissum non est, corpus humanum non est mutilatum, & truncum: sed absolute integrum, ac perfectum; alias si mutilatio cuiuslibet partis corporis, quæ cū alio membro operatur, sufficiens irregularitatis esset, non solum mutilatio digiti, sed & partis illius abscisso irregularitatem induceret. Ita Couar. Clement. si furiosus, §. 3. n. 8. Nauar. sum. c. 27. n. 206. Graf. l. 2. c. 62. num. 4. Valent. 2. 4. d. 7. q. 19. pun. 3. §. 4. Henric. l. 1. c. 8. mon. Sayr. l. 6. thes. c. 16. n. 1. Molina tr. 3. d. 69. num. 2. Hurtad. de irreg. diff. 5. n. 18. & alij.

Existimo, eam mutilationem irregularitatem constituere, quæ est membri, sumpto membro pro ea parte corporis, quæ actionem aliam quam habet ab alia distinctam, v.g. auris, nasus, pes, oculus, manus, & similia, ut colligitur ex l. Idem filius ff. de adilit. edito, ubi ex vnus digiti defectu, non dicitur membrum deficere.

DVBIVM LVI.

An irregularis erit qui ita membrum debilitaret, ut omnino aufereret, ac moveretur?

Erit irregularis. Quia huiusmodi debilitatio formaliter mutilatio dici posset, si quidem illud membrum vita priuaretur, & se paratur ab animæ informatione: alias posset quis à duobus mutilari, nullo eorum irregulari manente; nam abscindēs membrum sic, ac mortuum, non videtur irregularitati subiacere, illa mutilatio est eiusdem rationis ac mutilatio cadaveris: & ex alia parte membrum sicum reddens irregularitatem inducit.

Sect. II. De Irregularitate, Dubia. 355

irregularitatem non contrahit. Sic Suar. d. 47. sect. 2. num. 10. Coninch *disputation*. 18. dub. 8. concl. 2.

276 Non erit irregularis. Quia id colligitur ex *Cap. Sicut orgeri*. 1. *quest.* 1. ubi: si cuius hominis manus esset arida, verum quidem esset membrum illius, quamvis sine sanguine, & inefficax, & mortuum. Ita Abbas ad c. 1. *Qui Clerici*, ad c. *Accusationibus*. Nauar. *sum. c.* 27. n. 217. Conar. *Clement. Si furiosus*. p. 3. nu. vlt. Molina *tr.* 3. d. 68. Bonac. *to.* 1. d. 7. q. 4. *pun.* 8. nu. 11. Hurtad. *de irreg. diffi.* 5. nu. 18. Auila p. 7. d. 5. sect. 1. dub. 2. Henriq. l. 14. c. 8. n. 1.

277 Profecto sententiam hanc longe probabiliorem esse non dubito. Quia textus hanc irregularitatem statuentes, nō de debilitatione, per quem membrum omnino ad humanas actiones reddatur inutile, sed de mutilatione loquuntur. Vnde affirmo cum Auila, & Henriquez, mutilantem membrum aridum, irregularem fieri. Quia proprie est hominis mutilator, ac deformatior. Quod intellige, quando iniuste mutilatur, non quādo ex medicinæ, vel chirurgiæ officio.

DUBIUM LVII.

Eritne irregularis Clericus, qui non potest dimouere conjugatam à consilio dato aborsus?

278 *Plura reco.* R Ecolo, occidentem vel mutilantem, modo baptizatus sit, irregularem esse. Et mandantem homicidium, vel mutilationem. Et consulentem. At ad vitandam hanc irregularitatem post datum consilium tenetur quis illud reuocare, opposita persuasione facta. Quod si voluntatem consulti à malo dimouere non valeat: obligatur monere innocentem de damno sibi parato, alias non vitabit irregularitatem homicidio subsecuto, quantumcumque peniteat. Quod si consultus dicat: Non ex tuo consilio, sed ob alias causas velle homicidium perpetrare: non teneris monere innocentem, vt irregularitatem euites. Quia eo casu non ex tuo consilio, sed ex occidentis malitia homicidium contingit. Suppone autē quod Clericus feminae nuptæ, vel solutæ consilium aborsus impertiat. Eritne irregularis si post monitionem eam non potest ab aborsus consilio dimouere?

279 Non erit irregularis. Quia non solum illa monet pertinaciter consilio dato hærentem, sed & innocentem infantē monet in matre sua. Sic Henriq. l. 14. c. 16. n. 5.

280 Irregularis erit. Quia monitio infantis nullus est momenti, vt potē qui se liberare non potest. Ita Auila *part.* 7. *disputation.* 6. *section.* 2. dub. 3.

281 Irregularitatem esse crediderim. Nam cum consilium dedit aborsus, debuit hanc impossibilitatem præcauere, dato quod femina monita incorrigibilis persisteret. Non enim poterat innocentem monere. Attamen non audeo primæ sententiæ probabilitatem impugnare, cum Clericus ille post datum consilium gessit, quod in se erat matrem curans. *Escob. & Mend. Theol. Moral.* Tom. VI.

ab homicidio reuocare. Secus est in aliis, qui se possunt ab imminente periculo liberare. Vnde si occidendam moneas, & consultum à malo proposito dimouere coneris, sufficienter censendus es consilium retractasse, & mortem præcauisse.

DUBIUM LVIII.

Incurritne irregularitatem ex homicidio casuali, qui consulit, vel mandat Antonio vt Ioannem occidat, si non Ioannes sed ipse Antonius occisus est?

282 S Vppono, non incurrit irregularitatem ex homicidio voluntario. Quia nō habuit expressam voluntatem, vt Antonius in ea occasione constitutus occideretur. Suar. *disp.* 44. sect. 3. n. 17. Coninch d. 18. dub. 8. n. 66. Quæstio autem, num irregularitatem ex homicidio casuali incurrat? Ec quæstio procedit casu, quo probabiliter consulens aut mandans suspicaretur, Antonium graui periculo suæ occisionis exponi.

Non incurrit. Quia illius consilium, vel mandatum non directum fuit ad Antonij occisionem, sed ad necem Ioannis: nec ille mandauit Antonio, vt se ipsum occideret, aut à Ioanne occideretur. Ergo irregularitas statuta à iure aduersus consulentem, vel mandantem homicidium, illum illicare non potest. Sic Vasq. i. 2. d. 100. n. 45. Henriq. l. 14. cap. 16. Hurtad. *de irregular. disputation.* 2. *difficult.* 6. num. 22.

284 Incurrit quidem. Quia ille causa voluntaria fuit suo mandato, vel consilio, vt Antonius in eo periculo constitueretur, & occideretur à Ioanne. Ita Nauar. *sum. c.* 27. nu. 233. Suar. d. 44. sect. 3. n. 18. Coninch d. 18. dub. 8. n. 47. Auila *part.* 7. *disput.* 6. *section.* 2. dub. 5. *conclusion.* 4. & alij.

285 Hoc verius esse iudico. Quia negari non potest, illum suo consilio, aut mandato voluntarie Antonium graui mortis periculo exposuisse. Ergo irregularis erit, non quatenus formaliter consuluit, aut mandauit homicidium: sed quatenus homicidij causa suo consilio, vel mandato extitit.

DUBIUM LIX.

Ex sola ratihabitione homicidij tuo nomine facti, eritne irregularis?

286 C Ertum est, consentientem in homicidio, si ex eo consensu homicidium sequatur, irregularem esse. *Cap. Sicut dignum*, §. *illi*, de *status. homic.* Quæstio autem est, an quis ex sola ratihabitione homicidij in eius gratiam facti, erit irregularis?

287 Irregularis erit. Quia ea ratihabitione æquiualeat mandato. Sic Molina *tr.* 3. d. 33. *membr.* 3. *gularis.* Nauar. *sum. c.* 27. n. 233.

288 Non erit irregularis. Quia in iure ob ratihabitionem non erit. *H h 2*

habitationem irregularitas non imposita. Ergo rati habitio non sufficit, ut quis irregularis habeatur. Ita Couar. *Clement. si furiosus*, p. 2. §. 1. n. 4. Bonac. 10. 1. d. 7. q. 3. 4. p. 7. 8. nu. 42. Sayr. lib. 7. thes. c. 4. nu. 17. Coninch d. 18. dub. 8. fine. Henr. 1. 14. c. 16. nu. 2. Auila p. 7. d. 6. §. 2. dub. 6. Suar. d. 44. §. 2. n. 24.

289 *Hoc verius esse credo.* Hoc verius esse credo. Non enim obstat, rati habitationem mandato æquiparari. Nam æquiualeat plerumque quoad culpam, si quidem potest quis ita grauiter peccare compellendo in homicidio facto, ac si illud præcepisset. Non tamen æquiualeat quoad penas iuris, nisi ubi expressum fuerit. Quemadmodum in *Cap. Cum quis*, de sent. excom. in 6. cauetur excommunicationem Canonis incurrere, qui ratam habuerit Clerici percussorem suo nomine factam.

DVBIUM LX.

Ad dispensandum in irregularitate proveniente ex voluntaria mutilatione occulta habetne Episcopus potestatem?

290 *Questionis status.* Certum est, solum Pontificem dispensare posse in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario: raro tamen, & non nisi ex causa admodum graui eam dispensationem impertire. At circa voluntariam mutilationem occultam, quaerimus, num Episcopus habeat dispensandi in irregularitate potestatem?

291 *Non habet potestatem.* Non habet. Quia hæc irregularitas non est tantum ex delicto, sed ex significatione. At Tridentinum *ses. 24. c. 6.* solum concedit Episcopo facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto proveniente, non autem in irregularitate ob significationem impositis. Sic Medina *sum. l. 1. c. 11. §. 12.* Henr. lib. 14. cap. 9. n. 3. Sanch. lib. 1. *Decal. capit. 10. num. 49.*

292 *Habet quidem.* Habet quidem. Quia Concilium impertit Episcopis potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus occultis, excepta homicidij voluntarij: At irregularitas ex voluntaria mutilatione proveniens, non est irregularitas ex homicidio, sed ab eo distincta, ut de se constat: ergo hæc irregularitas sub ea potestate comprehenditur. Certe hæc facultas late est interpretanda, ut potest beneficium Principis, & in iure communi insertum, & non personis, sed dignitati Episcopali concessa. Ita Suar. d. 44. §. 4. n. 35. Laym. l. 3. §. 5. tr. 1. p. 3. c. 12. n. 2. Bonac. 10. 1. d. 7. q. 4. p. 7. ult. circa finem. Auila p. 7. d. 6. §. 5. dub. 4. Molina tr. 3. d. 70. n. 19. Manuel. tom. 1. q. 99. Regul. q. 24. d. 10. Sà v. *Irregularitas*, nu. 9. Toiet. l. 1. cap. 48. num. 6.

293 *Hanc eligo sententiam.* Hanc sententiam, communem quidem eligo. Nam irregularitas ex mutilatione verè procedit ex delicto, tametsi in significationem sit inducta.

DVBIUM LXI.

Sufficitne culpa levis ad irregularitatem ex homicidio casuali, vel mutilatione incurrendam?

294 *Cum hæc irregularitas homicidij, ac mutilationis imposita sit in poenam delicti commisi, necessario debet homicidium, aut mutilatio à culpa causari. Requirerim autem, an sufficiat culpa levis, an necessarius grauis prærequiratur?*

Sufficit culpa levis, ad hanc irregularitatem incurrendam. Quia hæc non solum in poenam delicti, sed etiam ob defectum significationis imposita indicitur: ideo videtur quælibet culpa sufficere, ut poenæ rationem habeat. Sic Glof. ad *Cap. Significasti*, el. 1. de homic. & Abbas, Caiet. v. *Irregularitas*. Armil. eodem n. 14. Couar. *Clement. si furiosus*, p. 2. §. 4. n. 9.

295 *Non sufficiat culpa levis, sed lethalis requiritur. Quia in cap. Quæsumus, de penis, & re. Non sufficit missio. pater suffocans filium secum dormientem irregularis iudicatur, si suffocatio ei voluntaria fuerit, vel ex studiosa acciderit negligentia. Et c. Lator, de homicidio, excusatur ab irregularitate Clericus cum alio ludens, etiam si casu cultello quo erat præcinctus, alius occubisset. Quia non præsumitur Pontifex fuisse ibi latam, & grauem culpam. Ita Nauar. sum. c. 27. n. 25. 1. Nauarra l. 2. de res. c. 1. dub. 6. n. 69. Valent. 10. 1. d. 7. q. 19. p. 1. §. 5. Henr. l. 1. q. 6. §. 1. n. 7. Auila p. 7. d. 6. §. 5. dub. 11. concl. 3. Sayr. l. 7. thes. c. 5. n. 5. Bonac. 10. 1. d. 7. q. 4. p. 7. fine. Suar. d. 45. §. 5. n. 8.*

296 *Longe habet probabilior.* Longe habet probabilior hæc mihi est sententia. Quia irregularitas in poenam delicti cum grauissima poena sit, ut potest quæ maximis præuat bonis, & difficile tollitur, culpam grauem necessario debet præsupponere, ut sic culpæ poena proportionetur.

DVBIUM LXII.

Si quis culpam leuem perpetravit in præcedendo homicidio, quod ex opere illicito subsistentem est: contrahitne irregularitatem?

297 *Contrahit planè. Quia in cap. Dilectus, de homicidio, ex inter. s. Cap. Consuevit, & c. Lator, de homicidio, ab irregularitate excusatur, qui inibi interficientes memorantur, quod dabant operam rei licitæ, & in culpa non fuerunt præcauendi homicidium: Ergo à contrario, si darent rei illicitæ operam cessaret ratio eos excusans. Sic Ioan. Andre & Innocent. ad c. Tua nos de homicidio. Gabr. in 4. dist. 15. q. 1. a. 3. dub. 2. D. Th. 2. 2. q. 64. a. 8. & ibi Caiet. Viuald. de irreg. nu. 148. Laym. lib. 3. §. 5. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 4.*

298 *Non contrahit. Quia illud homicidium non fuit directè voluntarium, ut supponimus: ne. Non enim que indirectè, siquidem causa non est traxit de se homicidij inductina: neque etiam est voluntarium ratione alicuius grauis neglij.*

Seçt. II. De Irregularitate Dubia. 357

negligentiæ in eo præcauendo committit: ergo talis actio nullam habet homicidij malitiam & consequenter irregularitas homicidij ei annexi non potest. Ita Couar. Clement. si furiosus p. 2. §. 4. nu. 10. Sotus l. 5. de iust. g. 1. a. 9. Henr. l. 14. c. 15. nu. 3. Nauarra l. 2. de ref. c. 1. dub. 6. n. 69. Nauar. sum. c. 27. n. 221. Valent. 10. 2. d. 6. q. 3. pun. 3. Sayr. l. 7. c. 5. n. 12. Auila p. 7. d. 6. sect. 1. dub. 1.

300 Ego autem ex horum Doctorum Doctrina hac vtor distinctione. Aut actio peccaminosa, ex qua homicidium sequitur, de se est periculosa, & homicidij causatiua, vel non. Si est de se periculosa, dans operam præfatæ actioni, contrahit irregularitatem: vti contrahit Clericus exercens torneamenta, & alia pugne simulacra venationem vrsorum, aprorum. Nam hæ actiones ob periculum homicidij sunt Clericis interdictæ. Secus erit si actio de se periculosa non sit. Quia exercens opus de se periculosum voluntarie, periculum amplectitur, ac proinde effectus inde secutus ei debet adscribi. Quando vero opus de se periculum non habet, & diligentia adhibita est, ad homicidium præcauendum, ei non ad scribitur: nam eo casu homicidium non est in se voluntarium, vt constat; neque etiam in causa, cum ex se non sit homicidij illatiua: hæc autem irregularitas ex culpa homicidij contrahitur.

DVBIVM LXIII.

Adulter, ob cuius causam vxor à marito occiditur, estne irregularis, etsi mortis periculum, cui se vel vxorem exponit, præuideat?

301 Irregularitas non est. Quia illa non est causa sufficiens, vt maritus propria auctoritate vellet vxorem, vel adulterum occidere. Sic Auila p. 7. d. 5. sect. 3. dub. 3. concl. 1. & 2. Henr. l. 14. c. 10. sine Mercado de contr. cap. 4. pag. 11. Nauarra l. 2. de ref. c. 3. n. 363.

302 Est irregularis. Quia adulter præuidens vxoris interficiendæ periculum, illius necis indirecta est causa, eam tali periculo exponens. Sicuti censendus quis esset indirecta causa mortis, si aliquem suaderet, vt ea via incederet, qua probabile adesset periculum, esse à latronibus interimendum. Vel si ei iniuriolosam aliquam actionem ab alio factam referres, ex qua suspiceris, excitandum esse ad patrandum homicidium. Ita Couar. Clement. si furiosus, p. 2. §. 4. nu. 10. Nauar. sum. c. 27. num. 238. Gutier. l. 2. Canonie. q. 6. n. 41. Sayr. l. 7. c. 6. n. 26. Suar. d. 45. sect. 5. n. 7. Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 2.

303 Hanc communem sententiam amplector, quam à Pio V. decisam fuisse testatur Nauarrus, cum in Sacra Pœnitentiaria hic casus controuerteretur. Hinc deduco, te irregularè fore, si maritum aggredientem interficias in tui, vel adulteræ defensionem, si huius interfectionis periculum præuidens diligentia ad id vitandum non adhibuisti. Quia inique ei interfectionis te exposuisti periculo: vnde illa nex esto indefensionem fuerit facta, in causa Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

tamen fuit voluntaria, & iniqua: atque adeo sufficiens ad irregularitatem inducendam.

DVBIVM LXIV.

Ascensurus quis sit irregularis, si Antonium haud lethaliter percussit, sed ipse postmodum diligentiam necessariam circa vulnus non adhibens, ex sua intemperantia, vel ex Medici negligentia obiit?

304 Irregularis est censendus, Quia medio illo vulnere iniuste illato, occasione n præbuit Antonio, vt moreretur neque enim ei mors eueniret, nisi illud vulnus accepisset: ergo vulnus fuit causa saltem partialis luæ mortis. Sic Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. c. 3. nu. 10. Auila p. 7. d. 6. sect. 1. dub. 5. concl. 2. D. Antonin. p. 3. tit. 28. c. 2. principio. Nauar. sum. c. 27. n. 223. Henr. l. 14. cap. 14. numer. 4. Gutier. libr. 2. Canonie. q. 9. cap. 6. numer. 93. Molinatraclat. 3. disputation. 32. à num. 1.

Non censendus irregularis. Quia cap. Sudear, dist. 50. Presbytero percutiente Diaconum equitatem, & Diacono ex equo excidente, & ceruicibus fractis intereunte; mandatur periculum fieri, an Diaconus fuerit percussus ad mortem, & ex illa percussione mortuus fuerit: nam eo casu deciditur irregularè fore Presbyterum. At si constet, Diaconum non fuisse ad mortem percussum, iniungitur Presbytero pœnitentia ad tempus. Ex qua ratione ex vulnere non lethali, occasionem tamen mortis exhibente irregularitas non contrahitur. Ita Syluest. v. Homicidium 2. q. 22. Caiet. 2. 2. quest. 64. artic. 8. & ibi Aragon. Sotus lib. 5. de iust. question. 1. art. 9. Lessius lib. 2. cap. 9. numer. 102. Suarius disput. 45. section. 6. num. 19. Cennich d. 18. num. 70. & 86. Hurtad. de irregul. diff. 8.

305 Probabilem admodum primam reor esse sententiam, sed secundam adhuc probabiliorē. Probabilior Quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit vtrumque occasionem mortis exhibere, sed oportet, eam occasionem proximam esse, ex qua mors sequatur. At cum vulneratus Antonius non ex vulnere, sed intemperantia, alioue medicamine nociuo interit, nõ est mors vulneranti adscribenda. Secus esset, si eo vulnere febris excitaretur, quæ vulneratum perimeret: vel si simul cum illo vulnere aliud vulnus superuenit ex cuius coniunctione primum vulnus ad mortem concurrir, saltem vt breuiori tempore eneniret: vel si deficiente Medico, aut Chirurgo ex illo vulnere alias non lethali lethale factum est. Quia in his omnibus casibus conuincitur, vulnus primum causam mortis proximam extitisse. Discernere autem, an vulnus lethale sit, vel non, & an ad mortem proximè concurrir, ad Medicos pertinet.

DVIVM LXV.

Cum plures associati concurrunt ad o. ciso. nem. si certo confet. quisnam vulnus lethale infixit, reliqui vulnus lethale non inferentes, eximuntur ab Irregularitate incurrenda?

307
Eximuntur
quidem.

Eximuntur quidem. Quia infligens vulnus lethale tenetur de homicidio, & nō alius: reliqui verō tenentur de percussione, Leg. Cum Mela, §. Sed & si servum, ff. ad leg. Aquilianam. Et Leg. Si rixas, ff. de fideiuss. Ergo cum liberi sint ab homicidio, liberi ab irregularitate erunt. Sic Couar. Clement. si furiosus, p. 2. §. 2. n. 3. alios citans.

308
Non exi.
muntur.

Non eximuntur. Quia sua praesentia auxilium & fauorem occisori tribuere, & impedire occisum, ne se defenderet; unde omnes iudicandi sunt secundum Canones rei homicidij, & irregularitati subiecti Cap. Si quatuor homines, 23. quæst. 8. Ita Glos. ibi. Nauar. summ. c. 27. n. 224. Maiol. l. 5. de irregul. c. 48. §. 4. n. 7. Henric. l. 14. c. 14. n. 2. & 1. Suar. d. 45. sect. 3. n. 9. Auila p. 7. d. 6. sect. 3. dub. 3. concl. 4. Coninch d. 18. dub. 8. n. 70.

309
Hoc proba.
bilis esse
indico.

Fateor, iure Civili hosce cooperatores non puniri, rei homicidas: bene tamen secundum Canonum statuta quoad irregularitatis poenam, vt in Cap. Si quatuor homines habetur. Vnde licet prima sententia satis sit probabilis, probabiliorē assero esse secundam.

DVIVM LXVI.

Parochus vulnus lethale cuidam infixit, ex quo tamen vulneratus mortuus non est, sed ex vulneribus à parochiano acceptis: manetne irregularis?

310
Irregularis
manet.

Parochus quidem irregularis manet. Quia in Cap. Significasti solum excusatur Parochus ab irregularitate, quia certo constitit, vulnus lethale non infixisse. Sic Couar. Clement. si furiosus, p. 2. §. 2. n. 4. allerens communem opinionem esse.

311
Non manet
irregularis.

Non manet irregularis etiam si vulnus lethale infixisset, si ex aliorum vulneribus obierit. Quia ad irregularitatem homicidij iniusti contrahendam, opus est illius esse causam proximam, & efficacem: qualis non est in praesenti, vt supponimus. Ita Henric. l. 14. c. 14. n. 3. Auila p. 7. d. 6. sect. 3. dub. 4. Molina tr. 1. c. 3. d. 33. memb. 6. n. 4. Layman. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 10. fine.

312
Resolutio
Authoris.

Ego autem existimo, nihil definitum esse in Cap. Significasti, de Parocho, qui etsi lethaliter percussit, constat percussum non ex illius vulnere, sed ex aliis acceptis interiisse. Vnde dicendum puto, percutientem lethaliter, quando diuissim, ac per se concurrat, si vulneratus non ex ipso vulnere, sed ex alio-

rum vulneribus obierit, neque irregulare esse, neque teneri de homicidio, sed solum de vulnere. Ex Medicorum autem iudicio, & ex circumstantiis constare debet primum vulnus non causasse mortem, etiam quoad accelerationem. Sicuti contingeret, si ex secundo vulnere caput esset confractum, vel pectus transforatum, aut cor transfuerbatum, ex cuius vulnere statim percussus obierit.

DVIVM LXVII.

Quis homicidium, dum potuit, non impediit, sed nullum tamen positiuum influxum ad illud parandum adhibuit: manetne irregularis?

Irregularis non manet. Quia requiritur necessario aliquis positiuus influxus in homicidium, vt irregularitatem sit locus. Ex solo enim concursu morali nemini alteri à mandante, & consensiente irregularitas in iure indicta est. Sic D. Antonin. p. 3. tit. 28. c. 2. prout pio. Atmil. v. Irregularitas, 2. Tabie, codem l. §. 2. Hurtadus de irregular. disp. 2. difficul. 9. num. 34.

Manet irregularis. Quia dum impedit, cui potest causa moralis est homicidij. Cap. Non inferenda, & cap. Qui potest 23. quæst. 8. ubi: regularis. Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud, quam funera impietatis eorum neque caret scrupulo societatis oculte, qui manifeste facinorosi desinit obuiare. Ita Nauar. summ. c. 27. n. 231. & 234. Henric. l. 14. c. 14. n. 10. Manuel. v. Irregularitas c. 178. con. 1. 4. & 5. Suarius disputat. 47. section. 4. numer. 1. & 5. Auila p. 7. d. 6. sect. 2. dub. 7. concl. 1. & 2. Tolet. l. 1. c. 83. n. 4. Bonac. tom. 1. d. 7. q. 4. p. 278. num. 37.

Duplex potest esse obligatio impediendi homicidium, ex iustitia, vel ex charitate. Si ex charitate solum quis teneatur, communi sententia assensiente irregulare non esse, adhaereo. Si vero teneatur ex iustitia, etiam fert communis sententia, fieri irregularem. Vnde etsi prima sententia probabilis videatur, communis secunda debet sustineri. Aliter igitur efficientiam moralem sufficientem esse, ad irregularitatem inducendam. Vnum tamen adnotandum adicio, hanc omissionem debere esse directè voluntariam, mortis periculo prauior: alias non impediens homicidium irregularitatem non incurrit. Id colligo ex Cap. Quasi sum, de iur. & rem. Vbi parentes, ex quorum culpa filij in cunis mortui sunt, irregulares iudicantur, si de facto suffocationem procurauerint, vel studiosè neglexerint eam impedire: non tamen si ex eorum incuria filij mortui fuere.

DVIVM

Secl. II. De Irregularitate, Dubia. 359

DUBIVM LXVIII.

Excusaturne quis ab irregularitate, si occidat in sui defensionem, tametsi occasionem aggressori per iniustitiam dederit?

DUBIVM LXIX.

Estne irregularis, qui inuasorem occidit, & potest eius invasionem fugiendo declinare?

316
Questionis
factus.

Quamuis iure antiquo spectato, cōtrouersa fuerit, an defensio ab irregularitate excusetur, tamen est post Clemen. si furiosus, de homicid. defensionem personæ propriæ ab illa excusare. Quia ad irregularitatem contrahendam ex homicidio priuata autoritate facto, requiritur culpa: at qui hostem interimit seipsum defendendo, nullam cōtrahit culpam. Quæserim autem, num ab irregularitate excusetur qui occidit aliquem in sui defensionem, si tamen aggressori occasionem per iniustitiam dederit?

317
Excusatur
satis.

Excusatur quidem, tametsi ei dederit iniustam occasionem irruendi alapa verbi gratiā, percutiendo eum, vel adulteriū cum eius vxore perpetrando, vel contumeliis afficiendo. Quia iniuriatus volens etiam in continenti se propria autoritate vindicare, iniustitiam committit; ac proinde alteri licet, eam iniustitiam propulare; quod si alia via nequeat, nisi illum occidendo, licebit ei illum occidere. Ergo huiusmodi occisio non est peccato obnoxia. Ergo non potest irregularitatem ex homicidio iniusto inducere. Sic Syluester verb. Homicidium 8. qu. 4. Armil. verb. Irregularitas, num. 42. Tabiena num. 24. Sotus l. 5. de iust. q. 1. a. 9. Henriquez l. 14. c. 10. n. 3. Nauarra l. 2. de rest. c. 3. p. 3. dub. 14. Auila p. 7. d. 5. sect. 3. dub. 1. Hurtado de irregularitate, d. 2. difficult. 10. num. 36.

318
Non excusatur
satis.

Non excusatur si præuidit, (vt debuit præuidere dum iniuriam aggressori intulit) homicidij patranda periculum, nec præcauit. Quia licet illud homicidium in se, & immediatè licitum sit, est tamen in causa illicitum, & iniustum. Concurrere vero ad homicidium iniustum, causam iniustam apponendo, est reum esse homicidij, ac consequenter irregularem fieri. Sic Couarruias Clement. si furiosus, §. 4. num. 10. Nauarra summ. c. 17. n. 238. Gutierrez. l. 2. Canonio. qq. c. 6. n. 4. Sayrus l. 7. thes. l. 6. n. 26. Suarius d. 45. sect. 5. n. 7. Laym. lib. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 2.

319
Non excusatur
satis.

Probabiliorē hanc defendo sententiam, mouens, te non contrahere irregularitatem, quando occisio illa ad tui defensionem est necessaria. Nam si te ab aggressore defendere posses illum mutilans, vel tantum debilitans, & tamen occideres, irregularis esses. Quia ea occisio necessaria non est, ac proinde esset illicita, & iniusta, merito irregularitatis poena vindicta. Mecum Henriquez libro 14. capite 10. numero 2. Suarius disputatione 46. sectione 1. numero 8. Et colligo ex Tridentin. sess. 14. cap. 7.

320
Irregularis
est.

Irregularis est. Quia in Clement. si furiosus, solummodo ab irregularitate incurrenda excipitur, qui suum inuasorem occidit, non valens aliter invasionem declinare. Hæc sententia procedit casu quo fuga ei periculosa non sit: nam si probabili sese periculo vitæ fugiendo exponat, iam fuga non est medium ad declinandam aggressionem, siquidem fugiendo in simile periculum incidit. Sic Gloss. Clement. si furiosus, v. Non valens. Imola ibi. Abbas ad c. Olim, et l. de restitut. spoliator. n. 18. Nauarra l. 5. Consil. tit. de homicidio, cons. 7. n. 4. edit. 2. & summ. c. 17. num. 111. Matol. de irregul. l. 5. c. 48. num. 6. Henriquez l. 14. c. 10. n. 3. Auila p. 7. d. 5. sect. 3. dub. 2. Layman. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 9. asse. t. 3.

321
Non est
irregularis.

Non est irregularis occidendo inuasorem, etiam si se indemnem posset seruare fugiendo, si tamen fuga ei sit ignominiosa. Quia non peccat occidendo: siquidem non tenetur fugere cum tanto honoris detrimento. Ita Couarruias Clement. si furiosus, p. 3. §. vni. n. 1. & 4. Nauarra de rest. l. 2. c. 3. n. 418. Suarius d. 46. sect. 1. n. 6. Coninch d. 18. dub. 9. sine. Hurtado de irregul. d. 2. diffc. 10. n. 37. & alij.

322
In secundā
sententiam
inclinō.

Primam sententiam probabilissimam esse ac communi Doctorum consensu receptam ingenue profiteor. Attamen in secundam inclino, quam valde probabilem esse reor. Itaque irregularitatem non incurrer occidendo ille, cui fuga sit ignominiosa, vt asolet esse militi, vel nobili seculari publicè provocato. Nam si Clericus esset, vel Religiosus, queis nullomodo in tecora est fuga: proculdubio irregularis esset occidens, aggressorem, si eius mortem posset fugiendo euitare. Ceterum esto in Clement. illa non excipitur occidens inuasorem, qui non potest abque ignominia mortem vitare; excipitur tamen in communi regula, quæ solum homicidio illicito, & iniusto hanc irregularitatem imponit.

DUBIVM LXX.

Defensio directa bonorum temporalium excusaturne irregularitate?

323
Non excusatur.

Defensio directa bonorum temporalium, quorum iacturam quis alia via vitare nequit, nisi aggressorem occidendo, ab irregularitate homicidij eum non excusat. Quia in Clement. si furiosus solum excipitur ab irregularitate incurrenda occidens alium in propriæ vitæ defensionem: non verò in defensionem rerum temporalium interimens. Et in c. Successimus, de homicid. imponitur irregularitas ei, qui latrones ad furtum aggredientes occidit, & subditur ratio: Quoniam expediebat, post vicinam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam.

Hh 4 iacturam

incurram, quam pro conferendis rebus vilibus, & transitoriis, in alios tam acriter exardescere. Sic D. Antonin. par. 3. tit. 4. cap. 3. §. 2. Syluest. v. Homicidium 2. Nauart. sum. c. 15. num. 4. & c. 27. nu. 211. Henriquez l. 14. c. 11. n. 3. Gutier. Canon. qq. l. 2. c. 6. n. 61. Molina tr. 3. d. 72. nu. 3. Salon. 2. 2. q. 64. a. 8. concl. 2. Auila p. 7. d. 5. sect. 3. dub. 4. Layman. l. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. c. 9. assert. 3.

324
Excusat
plane.

Proprium bonorum directa defensio ab irregularitate hac homicidij, ac mutilationis excusat. Quia cap. Quia te 50. quidam Episcopus à Sarracenis captus aliquos ex illis, ut libertatem defenderet interfecit, de quo casu Urbanus II inquit: sed quoniam non sua sponte id fecisse cognosceris, inde canonicè nullomodo indicaris. Infertur ergo manifestè, non solum pro vita tutanda, sed & pro defendenda libertate licitam esse interfecionem absque Canonici impedimenti periculo. Ita Castro l. 2. de leg. pœn. c. 14. Navarra l. 3. de rest. c. 4. num. 418. Sayrus l. 6. i. h. c. 17. num. 22. Suarius d. 46. sect. 2. n. 4. Lessius l. 2. c. 9. dub. 11. n. 73. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 80 & 88. Filiuc. tract. 10. num. 146 & 149. Bonac. de irreg. d. 7. q. 4. punct. 6. num. 10. Hurtado de irregular. d. 2. diff. c. 10.

325
Cum his
opinor fu-
sus expen-
dens enten-
tiam.

Variorem & in praxi tutam admodum hanc sententiam esse crediderim. Quia irregularitas ob defectum significationis tantum posita est occidentibus, & mutilantibus auctoritate publica: non autem illis, qui priuata auctoritate occidunt, vel mutilant. His enim irregularitas indicitur non præcisè in significationis defectum, sed & in pœnam delicti commissi. At qui proprium honorem, bonaque fortunæ alia via nequit defendere, nisi occidendo inuaforem, nullam in ea occasione perperat culpam. Ergo non contrahit irregularitatem, ob culpam, indictam. Fateor autem in Clement. si furiosus, solum excipi defendentem propriam vitam, quia id certum & indubitatum est: sed non inde infertur, defendentem propria bona excusari non posse. Aliàs non excusaretur defendens se à mutilatione, vel à vulnere non lethali: siquidem hæc defensio in Clement. illa non excipitur: cum tamen communis sententia hanc defensionem ut legitimam excusationem admittat. Porro in illo casu ex cap. Suscepimus desumpto, Clericus manet irregularis, quia ob vatum timorem mortis latrones occidit (quos iam ligatos habebat), & in furti iam recuperati vindictam. Vnde merito Pontifex præcepit, ab altaris ministerio abstinere, quia tam grauiter ob furtum factum rerum temporalium, quæ iam erant recuperatæ in latrones exarsit: cum potius expedit, post tunicam relinquere pallium, & rerum suarum sustinere iacturam, quam ita diriter exardescere.



CAPVT XXIV.

Circa Irregularitatem contra-
ctam ex Baptismi itera-
tione.

DVBIUM LXXI.

Rebaptizatio occulta inducitne Irregula-
ritatem Ministro rebaptizantis, &
rebaptizanti ipsi?



ERTVM est, ministrantem ex officio ei, qui rebaptizatus, fieri irregularem. c. Ex litterarum 2. de Apofat. Quæ irregularitas non est absoluta, & totalis, cum non priuet usu, & exercitio Ordinis ascensu, ut ex c. Ex litterarum constat. Hanc irregularitatem communiter Doctores extendunt ad rebaptizantem, eo quod rebaptizantis minister irregularitas indicitur. Quia rebaptizationi cooperatur. Tacite ergo supponitur præstanti rebaptizationem irregularem indicam esse Henric. l. 2. c. 11. n. 1. & l. 14. c. 4. n. 4. Auila p. 7. d. 7. dub. 1. Suar. tom. 3. in 1. par. d. 31. sect. 6. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 34. & alij. Quæstio verò est, an hæc rebaptizatio solemnitis, & publica esse debeat, ut minister rebaptizantis, & ipse rebaptizans irregularitatem incurrant? an si occulta sit, non incurrant?

Rebaptizatio occulta sufficit, ad inducendam irregularitatem maximè in rebaptizante. Quia c. Qui in qualibet 1. q. 7. & c. Qui bis, & c. Eos quos, de consecr. dist. 4. nullatenus publicitatem criminis requirunt. Et licet in c. Ex litterarum, de Apofat. dixerit Alexander III. de ministro illo rebaptizationis, quod ad Ordines superiores, si publicum est, quod proponitur, promoueri non valeat, nisi ad Religionem transferret: si verò occultum fuerit, permittitur promoueri id intelligendum est de Episcopi dispensatione. Sic Hostiens. ad c. Ex litterarum. Scotus in 4. dist. 6. q. 8. Auila p. 7. d. 7. dub. 1. Henric. l. 14. c. 4. n. 5. Sayr. l. 7. h. c. c. 8. n. 6. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 36. Supponit Bonac. tom. 1. d. 7. q. 3. punct. 1. n. 9.

Non sufficit rebaptizatio occulta, sed debet esse publica, ut huic irregularitati sit locus. Quia c. Ex litterarum absolute deciditur, si crimen occultum sit, ordinari Acolytum illum posse, neque dispensationis mentionem fecit. Ergo absque fundamento dispensatio exigitur. Alij verò textus non de rebaptizante, sed de rebaptizatis loquuntur. Ita Abb. ad c. Ex litterarum, n. 1. Syluest. v. Irregularitas, q. 4. Palud. in 4. dist. 6. q. 4. a. 1. conl. 2. Tolet. l. 1. c. 70. §. 4. Laym. l. 1. tr. 1. p. c. 2. n. 1. Hurtado de irregul. d. 2. diff. 11. Coninch. d. 18. dub. 5. n. 1. Inclinat Suarius tom. 3. in 3. p. d. 31. sect. 6. num. 16.

Esti